



Scientia Sanctorum

Collecta Ex Meditationibus Ludovici De Ponte, Joannis Busaei, Joan. Suffren, Juliani Hayneufve, Et Antonii Gaudier, &c. E Societate Jesu, In Dominicis, Festa & ferias totius Anni digesta. Cum Indicibus duobus. I. In singulos dies. II. Ad Exercitia Spiritualia

Puente, Luis de la

Dilingæ, 1685

3. Vita activa opus habet contemplatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60561](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60561)

mè convenit auditio, nam hæc fit absque nostris ratiocinationibus, per illapsam doctrinæ in interiorè auditum. Sic Paulus *audivit arcana verba*, & Christus ipse: *Quacunque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Ita anima per contemplationem excipit divinas illustrationes & sensus, nullo labore, magno gustu suavitatis, & *suscipit*, quod optat S. Iacobus, *in mansuetudine insitum verbum, quod salvat animas suscipientium.*

2. Cor. 13

4.

Ioan. 15.

15.

in Iac. 1.

22.

CAPUT III.

Vita activa opus habet contemplatione.

ID apparet in Martha, quæ satagens circa frequens ministerium, stetit & ait: Domine, non est tibi cura, quòd soror mea reliquit me sola ministrare? dic illi, ut me adjuvet. Sanè contemplatio debet adjuvare actionem, ut hæc cum devotione & suavitate perficiatur. Quare Martha stetit aliquantulum intermittens actionem. Queritur autem amanter de subsidij defectu à sorore; per hoc volens impetrare à Domino auxilium contemplationis. Iube, inquit, & confestim fiet. *Mitte de celis, & à sede magnitudinis tue spiritum sapientia, ut mecum sit & mecum laboret: & sciam, quid acceptum sit apud te, hoc est, ut tibi placere possim in actione mea.* Sunt quidam ex occupatis in actione, qui queruntur quodammodo de ipso Deo, quasi ab ipso deserantur, nulla

1.

Cõtem-

platio

adjuvet

actionē.

Sap. 9.

10.

2.

Contē-

platio-

nis de-

fectum
querun-
tur.

3.
De con-
templa-
tivisma-
lè judi-
cant.

1.

2.

la quiete ad respirandum concessa, quasi culpa actionis fiat, quòd destituantur fructu contemplationis. Qui quidem, si humilitatem colerent, in magno beneficio ponerent, quod in Dei gratiam sese totos impendere liceret sanctis actionibus, atque ea ratione donum contemplationis obtinerent, quod modò avertunt à se per superbam querimoniam, & fortè simulatam, qua tegere volunt & excusare tepiditatem suam in studio contemplationis. Alij autem queruntur de contemplativis, quasi otiosis & Ecclesiæ Dei nihil conferentibus, sed planè inutilibus, quo in iudicio multùm peccant. Primò, quòd velint omnes eandem inire viam secum, quasi una tantùm sit ad perfectionem contendendi. Deinde errant, quòd otiosos existimant, qui Deo toti vacant, & inertes, quorum orationibus plurimùm juvatur Ecclesia, & illi ipsi, qui proximis dant operam. Quare Dominus Magdalenam defendit, quæ otiositatis arguebatur à sorore. Agat igitur gratias Deo unusquisque pro sua vocatione, in eaque se perficiat, deque aliorum bono gaudens, faciat illud sibi proprium.

CAPUT IV.

De moderanda actione.

Nimiam sollicitudinem coarguit Dominus, quãdo Marthæ dixit. *Martha, Martha sollicita es, & turbaris erga plurima.* Hujus verò inquietu-